Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.iij.

in sole patet aperte Sic gratia miros lasanos
stabilitat et mollia corda consolidat Sexto est
densorum et grossorum subtiliatiua. Nam rem in
quam agit dissoluit et sic actioni ydoneam red-
dit Unde cum Rem ad simplicitatem reducere labo-
rat eam subtiliat ut patet in glacie que dum dissol-
uitur subtiliatur Sic gratia diuites grossos
metallis subtiliat dum eos facit omnia dare in ele-
mosinas. Septimo est metallorum depuratiua et
totius eorum rubiginis consumptiua quia dum in me-
tallum agit. Primo ipsum dissoluit Et sic fedi-
tatem quam inuenit et consumit. Sic et gratia
omnem peccati rubiginem ab anima tollit. Octauo est
grauium alleuiatiua quia dum humiditatem in rebus
consumit Que causa grauitatis existit pondus
rei diminuit. Calor etiam dum in humiditatem
agit fumum ex ea resoluit qui depuratus in le-
uem speram et aeream mutatus Rem leuiorem
reddit Et hinc est quare corpora animalium sunt leui-
ora post prandium quam deberent esse grauiora propter cibum
superadditum quam ante prandium propter caloris naturalis con-
fortationem et spirituum generationem quibus pondus
corporis leuigatur Sunt et ob hanc eandem causam
longo grauiora corpora mortua quam uiua Sunt ob
eandem causam corpora leuiora in estate quam in hyeme quia grauiora
pori aperiuntur et spiritus egrediuntur Calor ad exterio-
ra diffunditur et motus imminuitur Sed in hyeme quia
pori ex frigore constringuntur calor et spiritus in inte-
rioribus detinentur et sic corpus alleuiatur Sed
quid peccato grauius pondere cuius ad centrum mundi
homo detrahitur Ergo dum gratia spiritus generan-
do et calorem in intimis confortando a peccatis
expurgat animam valde alleuiat ut uolare ad celes-
tia valeat. Nono est coloris rubei generatiua
quia dum materiam agit partes terrestres resoluit
in aquosas in aereas et illas in igneas Unde